QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS EXAGITANDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS 18. DECEMBRIS D. PETRO Lasileo, seniore Decano, & Medico Regio, moderatore sapientissimo.

An ab affecto loco, quàm à Morbo præstantior Indicatio.

INDICATIONIS, quæ iuuantis, & nocentis cognitio est, duæ primæ sunt differentiæ, quæ, vel à morbo, vel à parte affecta ortum habent: ex quibus futurorum prænotionem, & remediorum inuentionem, sine vlla obseruatione, ratiocinationéve, aut analogismo medicus facilè consequitur, qui priùs diagnosi animum intenderit, & vim naturámque morbi intellexerit. Nam vbi obscurior est morbi species, & pars affecta latet, indicationi locus esse non potest: sed ex alterius morbi similitudine medendum, quo modo hæmorrhoi vulnus cicatrice obducitur, sic & pestilentis febris curationi terræ lemniæ, aut armeniæ bolum non ineptè adhibueris.

ET dum inuentioni remediorum operam damus, toto morbi decursu, vires diligenter considerandæ sunt, nè vel inædia concidant, aut pleniore victu obruatur: nè vel sæpiùs repetita sanguinis epaphæresi, funestáve hypercatharsi, aut aliis remediis intempestiuè exhibitis, pœnitus exhauriantur: quibus cum morbo pugnantibus, reliquas omnes indicationes obscurari necesse est: sic & ambiens aër, vitæ conditio, ætas, sexus, & alia huiusmodi, (cùm multa dehortentur) consimilem vim, & potestatem cum viribus habent.

NEQVE verò duntaxat morbus, sed & pars malè affecta remediorum inuentioni plurimùm suffragatur. nam & generalia profert remedia, idiotis etiam manifesta. & quod magis optandum est, particularia quoque, pro natura partis sæpè immutanda, eorumdem præterea quantitatem, qualitatem, vtendi modum, & occasionem ostendit: vt vno indicio simul, & locus affectus, & affectus ipse dignoscantur: & sæpè morbus ipsius partis nomen retineat, aut sibi adiunctum habeat.

EST igitur in morborum internorum curatione, etiam partis laborantis habenda ratio, & ea administranda sunt remedia, quæ pars ipsa docuerit; non neglectis tamen indicationibus his, quæ à morbo desumptæ fuerint: quanquàm non morbus, sed pars affecta, diuersa remedia, attamen propria, indicet: vt ex inflammatione oculi, ventriculi, iecinoris facilè est intelligere; quibus alia, atque alia, pro partium ratione, debetur auxilia.

INDICATIONVM à morbo, & ab affecta parte modus impar existit: à loco quidem, qui difficillimè, & non nisi exercitato patere potest, maior: à morbo verò, qui ex propriis signis facilè colligitur, minor. species nàmque morbi pauca, & in genere, nimirum sui ablationem, ostendit; pars verò multò plura amplectitur, & demonstrat; temperamentum, raritatem, mollitiem, connexionem, situm, & his consimilia, quibus remedia cum diorismis adhibentur: licet morbus quoque, cùm altiùs radices egerit, præsidiorum speciem quandoque demonstrare possit, quemadmodum & symptomata, quæ exacuendi morbos, aut vires labefactandi facultatem habent.

Ergo ab affecto loco, quàm à Morbo præstantior indicatio.

Ponebat Germanus Clerselier, Parisinus, anno Domini 1597.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI,

Mag. Ioannes Duret, Med. Reg.
Mag. Georgius Cornuty.
Mag. Ioannes le Moyne.
Mag. Stephanus du Four, Med Reg.
Mag. Claudius Boyuin.
Mag. Philippus Hardouyn de S. Iacques.
Mag. Hugo Preuosteau,
Mag. Nicolaus Elain, Dec.
Mag. Guillelmus de Baillou.